

BONIFATIUS episcopus servus servorum dei. Dilectis in Christo filiabus universis abbatissis et conventibus sororum inclusarum ordinis sancte Clare presentibus et futuris salutem et apostolicam benedictionem. | In sinu sedis apostolice vester ordo consistens sic splendet per incrementa virtutum, quod digne meretur precipuis attolli favoribus et specialibus^{a)} gratiis confoveri. Nos quidem ordinem | ipsum libenter prosequimur prerogativa favoris et augmenta suorum processuum^{b)} promovemus. Sane felicitis recordationis Vrbanus papa IIII^{tus} predecessor noster cum multa providentia regulam vestram in|stituit¹⁾, sub qua domino deservitis, et ut eam possetis salubrius observare et ne sub diversorum magisterio vivendi modos valeritis incurrere differentes, inter cetera statuit, ut sub | illorum cardinalium, qui forent pro tempore gubernationi, protectioni atque correctioni ordinis fratrum Minorum a sede apostolica deputati, obedientia, cura et regimine deberetis de cetero permanere, quibus teneremini firmiter obedire, et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam monasteriis ordinis dicte sancte et personis degentibus in eis, capellanis, conversis et | familie tam per se quam per viros ydoneos, quotiens expedire viderent, visitationis officium studebant impendere corrigendo et reformando ibidem tam in capite quam in membris, que | correctionis seu reformationis officio noscerent indigere. Instituerent nichilominus et destituerent^{c)}, ordinarent, statuerent atque^{d)} disponderent, prout secundum deum expedire viderent. Cum igitur | per hec et alia inter vestrum et dictum fratrum Minorum ordines specialis esse caritas censeatur, nos volentes, quod idem ordo vester felicioribus exinde augeatur auspiciis, ut tanto salubrius | possitis reddere domino vota vestra, quanto potioribus fueritis libertatibus et gratiis a sede apostolica communitate^{e)}, apostolica vobis auctoritate concedimus, ut vos ac omnia et singula monasteria vestri | ordinis tam exemptionis privilegio quam omnibus immunitatibus, libertatibus et indulgentiis et aliis privilegiis quibuscumque utamini et gaudeatis ac uti et gaudere possitis, que prefato fratrum | Minorum ordini ac eius fratribus et personis sunt ab eadem sede concessa vel imposterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis privilegium et immunitates, libertates, indulgentie | ac alia privilegia vobis competunt vel competere possunt vel poterunt et quatenus vos et monasteria ipsa potestis ac poteritis esse capacia eorundem. Nulli ergo omnino hominum | liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et | Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Rome apud sanctum Petrum non. aprilis pontificatus nostri anno quarto.

(B. D.)

150. a) speciabus A.

b) -orum -suum *auf Rasur* (3,5 cm): Korrektur wohl von erster Hand mit derselben Tinte A.

c) en *auf Rasur* (0,6 cm): Korrektur wohl von erster Hand mit derselben Tinte A.

d) -t statuerent atque *auf Rasur* (2,8 cm): Korrektur wohl von erster Hand mit derselben Tinte A.

e) unite *auf Rasur* (1,5 cm): Korrektur wohl von erster Hand mit derselben Tinte A.

1) Vgl. *Bull. Franciscanum II*, S. 509–521, Nr. XCVIII; *Bull. Romanum ed. Taur. III*, S. 709–721; *Schieckel, Reg. Dresden I*, S. 198, Nr. 789.